



1637, 2 7/
DEO
TRIUNO JUVANTE,
de

Conceptu mentis,

Permissu incluti Collegii Phi-
losophici in alma Lipsiensi,

Disputationem publicam
instituet


M. VALENTINUS Kennler/Zittanus,
SS. Theol. Stud.

Responsurò,

MARTINO Scherll/Lipsiensi,
Art. & Phil. Baccal.

Ad diem 8. Julii, in inferiori Majoris Principum
Collegii auditoriò,

ANNO M DC XXXVII.



L I P S I Æ

Typis GREGORII RITZSCHII,

DEO
TRINIO UNANTE

Conceptus in utero

Per matrem in mundo Collegii Phil.

Josephici in anno 1734

**KOEN. FRIED.
UNIVERS.
ZU HALLE**

MARTINO SCHMIDT

Dr. & Phil. Doct.

Abbas & J. M. Superiori Collegii Principum

Collegii Josephici

ANNO MDCXXXIV

L I R 2 1 R

Typo GREGORII RITSCHII





Προοίμιον.



Intellectum nostrum variâ ac multiplici cognitione quæ imbuunt tr a sunt: Primò, *Res extra nos posita*, quæ intellectui obijciuntur, eiqve aliquam sui speciem imprimunt; Deinde *conceptus seu formata de re concepta imago in*

mente, quæ rem extra nos positam repræsentat; deniq; *Vox*, quæ Conceptus seu res intellecta cum aliis communicatur. *Ἰὰ γὰρ ἐν τῇ φωνῇ δεῖ τῶν ἐν τῇ ψυχῇ παθημάτων σύμβολα*, asserente *Philosopho in lib. περὶ ἑρμην. c. 1. h. e.* vocabula, (quæ ab Aristotele intelliguntur per *Ἰὰ ἐν τῇ φωνῇ*) sunt conceptuum ac notionum animi notæ & signa, quibus sensa animi nostri indicamus & exponimus. Nos impræsentiarum de Conceptu mentis breviter agamus. Sit ergò

Articulus Primus,

De

Etymologia, Homonymia & Synonymia harum vocum, Conceptus mentis.

Nomina † sunt involucra rerum, & secundum sapientis cujusdam sententiam, *neq; quærere neq; audire licet absq; anticipatâ notione.* Non † inscite ergò nec insubidè primum *πρῶτα* impendium vocum notationi dicabitur. Ita † namq; fiet, ut discussis illarum nebulis, cognitio ipsius rei nobis facilior & plenior reddatur. Considerabimus † autem istas voces (1) *Διῶν*, 1. 2. 3. 4.

A 2

sum

Paragr. *sum* (2) *Conjunctim*, ut elucescat, quidnam per hæcce vo-
 4. cabula intellectum velimus. Conceptus ¶ ergo Ety-
 5. mologiam si paulo diligentius rimeris, deprehendes
 verbo *concipere* sua incunabula debere, quod sumitur
 vel *proprie*, quatenus Genitricis tantum concipere di-
 6. cuntur; vel *improprie* & *Metaphoricè*, quatenus per Ana-
 7. logiam quandam menti ascribi solet. Unde ¶ patet,
 Vocabulum conceptus similiter duplici gaudere signi-
 8. ficatione, unâ *propria*, alterâ *Metaphoricâ*. Illò ¶ modò
 accipitur pro partu, qui ex congressu maris & feminae
 9. intra uterum concipitur & adveniente nativitatæ arti-
 culo in hæcce auras eluctatur: Hoc ¶ verò pro specie in-
 telligibili seu notâ rei in intellectu, cujus beneficiò Obje-
 ctum extra nos positum in mente representatur, quæ
 10. acceptio nostri est instituti. Ab ¶ aliis insignitur nomi-
 ne (1) *notionis*, quod secundum Armandum de bello vi-
 su tract. 2. c. 293 à noscendo dictum est: non quia nosca-
 tur, sed quia noscendi & cognoscendi principium sit,
 per quod scilicet aliud cognoscatur. (2) *Speciei*, quod spe-
 11. ciem rei extra mentem positæ gerat, *Scalig. lib. 3. Poët.*
c. 30. & 38. & 1. de plant. p. 60. Nunc ¶ mentis vocabu-
 lum excutiemus, quod *Scal. Exerc. 307. sect. 2.* deductum
 vult & ἡ ψὴ τοῦ νοῦ. Ita namq; discurret: *Mens non à motu*
dicta est, sicut neq; mentum, ut est trivialibus persuasum,
sed & ἡ ψὴ τοῦ νοῦ. Unde μὴ ψὴ. Est enim mens indicatrix
 12. *rationum.* Verum ¶ an hæc Originatio satis sit accura-
 rata, an verò potius asserendum, *Mentis* vocabulum esse
 primitivum, meritò in dubiò relinqvimus, cum constet
 multarū vocum derivationes sæpè ridiculas magis esse
 quàm utiles. Usurpatur ¶ autem mentis vox (1) *pro*
Spiritu incompleto s. anima rationali & ita sumitur 2. *de*
 Gen.

Gen. animi. c. 3. ubi Philosophus agens de productione *Paragr.*
 hominis hæc subjungit: διὸ καὶ πρὸς τὴν φύσιν αὐτῆς καὶ τὴν οὐρανὸν
 λαμβάνει, καὶ πόθεν τὰ μέγιστα τὰ αὐτῆς τῆς ἀρχῆς ἔχει ἀπορῆ-
 αυ πλείστην. (2) *Pro* † *spiritu completo*, compositionem 13.
 physicam respiciente, qui aliàs Angelus salutatur. (3) *Pro*
 † *intellectu*, potentiâ illâ nobilissimâ animæ rationalis; 14.
 & hanc significationē, ut proposito nostro congruam,
 fovemus. Varias † autem habet appellationes, qua- 15.
 rum hæc sunt tritissimæ. Vocatur † (1) *Animus*, quia 16.
 mente seu animo sapientiam nobis comparamus; ani-
 mus enim est, quò sapimus; anima verò, quâ vivimus,
 uti non nemo acutè dixit. (2) *Intellectus*. Intellectu † e- 17.
 nim ceu causa efficiente conceptus formamus, resq̄ve
 cognoscere annitimur. Ex † harum vocum cognitio- 18.
 ne nunc quemlibet facili negotiò colligere posse, autu-
 mo, quid per conceptum mentis intelligamus, videli-
 cet † nihil aliud, quàm Speciem intelligibilem seu no- 19.
 tam rei in & per intellectum formatam.

Articulus Secundus,

DE

*Definitione Conceptus Mentis, itemq̄ de Conce-
 tu Objectivo & Formali.*

Cum † omnis rerum perfecta cognitio depen- 1.
 deat à Definitionis perceptione (est enim illa λόγος, ὁ
 ἴσθι ἢ εἶναι σημαίνων. *Arist. 1. Top. c. 2. §. 2.*) nostrarum eti-
 am erit partium hîc *Conceptus* mentis naturam Defini-
 tione exprimere. Est † igitur *Conceptus* mentis ratio 2.
 naturam rei intelligibilis in mente verè ut in se est, re-
 præsentans, ab intellectu formata, ad producendam
 cognitionem. Dispescimus † Definitionem hanc in 3.

A 3

Genus

Paragr. Genus & Differentiam specificam. Generis † locum
 obtinet ratio, quæ non sumitur (1) pro illâ vi animi, quâ
 Homo à reliquorum animalium cœtu distat: neq; (2)
 5. pro causâ seu argumentô Conclusionis: sed (3) pro ex-
 pressâ rei conceptione in intellectu, & convenientiâ
 inter id, quod cognoscit & cognoscitur. Differentia
 6. † specifica d summa est (1) à materia circa quam, quæ est
 omne intelligibile, (2) à formâ, quæ est representatio ipsius
 intelligibilis. Res enim † quia sunt Obiectum mentis
 & extra eam existunt, secundum suam Essentiam ne-
 7. queunt esse in intellectu, sed tantum in eô apparent se-
 cundum imaginem suam seu similitudinem. (3) à Cau-
 8. sâ † Efficiente, quæ est intellectus agens, cuius beneficio
 per veram actionem conceptus in intellectu possibili
 9. producitur & relinquitur. (4) à fine, † quæ est cognitio.
 Si enim rerum cognitio debet fieri, necesse est, ut intel-
 lectus cum re intelligibili uniat. Conceptus † ergo
 10. erit medium, quò res nostro intellectui sese sistit &
 præsens fit, i a, ut intellectus fiat quasi liber, in quò res
 concepta legatur & intelligatur. Harum autem cau-
 11. sarum uberiores enodationem sequenti reservabimus
 articulo: hîc saltem *ὡς ἐν τῶ ἀποδῶ* notetur, à nobis de-
 scriptum esse *Conceptum Formalem*, minimè vero *Obje-*
 12. *ctivum*. Objectivus † enim conceptus in rei veritate
 nullo modo conceptus dici potest; sed tantum ob ex-
 trinsecam denominationem sic appellatur, quæ velut
 13. fiat & terminat. Intellectus † namque noster rat o-
 mnium naturæ & essentiæ suæ plane liber, indifferens & in-
 determinatus est, sed ab objectis ad hoc vel illud con-
 cipiendum restringitur. Evinci † autem potest conce-
 ptum Objectivum non propriè vocari conceptum, hoc
 modo:

Omnis

Omnis Conceptus est actio spiritalis, immanens. *Paragv.*

At Conceptus Objectivus talis actio non est.

E.

14.

Majorem † nemo negabit; Minorem sic stabilimus:

Quodcumq; se habet ut materia substrata, illud eò respectu, ut est materia, non potest agere.

At Conceptus Objectivus habet se, ut materia substrata.

E.

15.

Minoris † probatio ex descriptione conceptus Objectivi patet. Est enim Conceptus Objectivus illa res,

quæ per formalem conceptum cognoscitur & repræsentatur, vel est ipsa res, prout intellectui objicitur.

16.

Duplex † ergò discrimen est, quò distinguuntur Conceptus Objectivus & Formalis: I. Objectivus non solum Ens reale sed etiam Ens rationis esse potest: Formalis verò (etiam de Ente rationis) semper est Ens reale.

17.

Est namque qualitas seu imago in mente hærens, eamq; verè movens. II. Objectivus † potest esse aliquid universale, nim. Genus & Species: Formalis semper est singulare aliquid, etiam si rem universalem repræsentet. Est † enim *hic & nunc*, hoc est, in hujus vel illius nominis intellectu, hòc vel illò temporis momentò, unde sufficiens singularitatis indicium desumitur. Sequitur nunc

18.

Articulus Tertius,

De

Causis, Efficiente, Finali, Materiali, Formali.

I.

Causas † conceptus mentis jam contemplabimur.

Quicquid enim est extra DEUM, per causam est, ex causis

sis

Paragr. 1. sis, & in causis, *Scal. Exer. 307. sect. 27.* adeò ut ne ipsæ
 quidem causæ careant causis, 3. *Poet. 8,* & qui causas non
 2. desiderat, æqvè stolidè credit, atqve arroganter profite-
 tur, *idem de Caus. L. L. c. 92.* Primam † classem cau-
 sa Efficiens sortitur, quam intellectum agentem statuimus.
 3. Est † autem intellectus agens potentia animæ intelle-
 ctivæ, quæ Species intelligibiles abstrahit aut producit à
 phantasmatis, easq; transmittit ad intellectum pati-
 4. entem; qui † est potentia animæ rationalis, cognoscens
 species intelligibiles ab intellectu productas & excogi-
 5. tatas retinens, conservans, & dijudicans. Ex † hisce
 6. deprehendimus, utrumque intellectum suas habere
 proprias & peculiare operationes. Ille † (agens) (1)
 producit species intelligibiles, per quas perficit intelle-
 ctum patientem. (2) illustrat phantasmata: Hic (pa-
 7. tiens) (1) species ab intellectu agente fabricatas recipit
 (2) per easdem receptas intelligit. *Armandus, † de bel-
 lo visu tract. 2. c. 126.* Agentis & patientis intellectus
 munera ita perstringit: Agens, inquit, phantasmata,
 quæ sunt intelligibilia potentiâ, facit intelligibilia actu,
 per suam illustrationem; Possibilis vero illa apprehen-
 8. dit & intelligit. Non † ergo statuendum cum *Zabarel-
 la lib. de mente agente c. 11.* intellectum agentem & pati-
 entem seu possibilem esse duas substantias Essentialiter
 distinctas; cujus opinionis satis lubricæ cum nullum
 habeat suffragatorem ex nobiliorum Philosophorum,
 quod quidem meminerim, cœtu; ideo de illâ pluribus
 9. hic non agendum esse, censeo. *Finalis † causa succe-
 dit, quæ est Cognitio.* Ideo namque intellectus agens
 res concipit, ut earum cognitionem sibi acquirat. Ubi
 10. † notandum; Intellectionem & Cognitionem ut plu-
 ri.

rimum sumi pro totâ actu intelligendi & cognoscendi; *Paragr.*

& hoc modò ipsum conceptum includere: si verò ac-
curatius loqui velimus, Intellectionem & Cognitio-
nem esse effectum & consequens Conceptus. Hæc † 11.

de causis externis dixisse sufficiat; sequuntur Causæ in-
ternæ, quarum primum sese offert *Materia*. Est † au- 12.

tem *Materia* triplex (1) *Materia circa quam*, (2) *Materia*
in quâ, (3) *Materia ex qua*. Materiam † ex qua pro- 13.

priè sic dictam Conceptui mentis denegamus. Est namq; Ac-
cidens: Analogicè tamen res ipsas *in mundò existentes*,
prout ex his ejusmodi conceptus formari queunt, materiam
ex quâ vocamus. *Materia † in quâ*, (quæ vulgò subje- 14.

ctum inhætionis appellatur) est *intellectus possibilis*. In
illò enim producitur conceptus, ibidemq; relinqui-
tur. *Materia † circa quam seu Objectum est omne in-* 15.

tellegibile. Intelligibile autem est omne Ens, quod ab
intellectu cognosci potest. Acceptum † hîc volumus 16.

vocabulum Entis non in strictâ illâ significatione, quâ
illud tantum involvit, quod veram realem & positivam
habet Essentiam; hoc enim modò excluderentur pri-
vationes, negationes & Entia rationis, de quibus ta-
men conceptus formari possunt: sed in latissimâ, qua-
tenus illud denotat, de quò aliquid affirmatè dici pot-
est, sive Esse reale & positivum habeat sive non. Di-
stinguit † autem Zabarella in lib. de mente humana c. 12. 17.

inter *Objectum Intellectus* (sub quò etiam conceptum
comprehendit) *primarium & secundarium*. Illud, † juxta 18.

ipsius sententiam, non est materiale quatenus materia-
le; nec potestate intelligibile, quatenus potestate intel-
ligibile, sed quoddam nomine carens, nempe omne,

B

Ens,

Paragr. 19. Ens, quatenus est Ens, unò exceptò intellectu. Intellectum † enim secundarium intellectus objectum esse asserit: Quicquid enim est, inquit, præter ipsum, continetur sub subjectò ejus primò; ipse autem sibi est Objectum secundarium. 20. Verum † contra nostram hanc sententiam adferri quædam possent, quæ ut diluamus, 21. necesse est. Sunt † autem in primis duo: Primum:

Omne, de quo intellectus debet formare conceptum, necesse est, ut sit Ens singulare in mundò verè existens.

Ad conceptum enim requiritur, ut objectum externum moveat sensus, qui illud ad phantasma deferant, ubi phantasma aliquod conficitur, tangens immediatè intellectum, eundemqve ad conceptum formandum movens.

At Universalia non sunt seorsim hòc in mundò. Nullibi namqve sine singularibus, in quibus fundamentaliter seu radicaliter existunt, reperiuntur.

E.

22. Verum † enim verò hæc argumentatio, utut arguta & speciosa videatur, sponte tamen, si paulò diligentius consideraverimus, quot modis aliquid in sensus incurrat, collabascet. 23. Percellere † enim res possunt nostros 24. sensus potissimùm sex modis: (1) *directè*, † & *per se*, quò pacto corpora oculis obversantia visuprehendimus, sapes gustamus, odores percipimus, &c. 25. (2) *per sua † effecta*, sic DEUS, qui invisibilis est, per visibilia se manifestavit; uti concinnè non nemo Poëtarum:

Aut

Aut mihi planta suis Numen demonstrat in hortis, Paragr.

Præsentemq; refert una vel herba Deum,

Aut operis series autorem tota recenset,

Qui facit, & lætò cuncta vigore fovet.

Emicat ex ipsis divina potentia terris,

Et levis est cæpes qui probet esse Deum.

(3) *per suum † fundamentum*: hōc modō universalia sunt 26.
in sensibus per sua singulariā tanquam fundamenta, à
quibus abstrahuntur. (4) *per sua † principia seu rudi-* 27.
menta: sic magnum & splendidum palacium futurum
cognoscimus ex magnō ad illius extruccionem appa-
ratu. (5) *per suam † imaginem*: ita B. noster Lutherus 28.
à nemine nostrūm visus, per suam effigiem à nobis co-
gnoscitur; unde accidit, ut scitè Lutheri imaginem à
Pomerani (Bugenhagii) & Melanchthonis discerna-
mus. (6) *per sua † opposita*; & sic privationem cogno- 29.
scimus per habitum. Respondemus † ergo ad proba- 30.
tionem majoris ex distinctione tertiā, Universalia
movere sensus per sua singularia, in quibus fundantur.
Sed † satis de hoc: Alterum, quod objici posset, hoc 31.
est: Si Conceptus concipit Universalia, ille erit uni-
versalis, quod est ἀσπρον. Resp. Conceptum † posse 32.
dupliciter considerari: Unō modō secundū esse
suum absolutum: alterō secundū suum officium
seu Effectum, quatenus res repræsentat. Priori † mo- 33
dō consideratus, omnis noster conceptus est singula-
ris: posteriori autem nimirum ratione repræsentatio-
nis potest esse tum universalis, tum singularis, prout
est Species rei vel Universalis vel singularis. Nam † si 34.

B 2

con-

Paragr. concipiam equum Universalem, conceptus meus est
 universalis quoad representationem; ipse tamen in se
 absolutè consideratus, est singularis; si verò concipiam
 equum singularem seu in individuo v. g. Bucephalum, tunc conceptus utroque modo est singularis.

35. Paucis † jam de *Formali causâ* agendum est, quæ consistit in *verâ representatione intelligibilis* seu *ipsius Objecti*.

36. Tunc † enim Essentiam alicujus rei nos verè cognovisse autumamus, cum uti in naturâ existit, concepimus, certoque conceptu in mente representamus.

37. Ad † representationem autem, quæ est formalis ratio Conceptus quatuor requiri videntur: (1) *similitudo* † *cum re* *cujus est conceptus*. Representatio enim in mente seu in intellectu fieri nequit, nisi convenientia detur rei cum conceptu, ut conceptus sit similis rei, de quâ ille conceptus est formatus.

39. (2) *Ordo* † *dependentia*, qui originem conceptus ostendit à re, cujus est conceptus: cum non omne, quod tantum similitudinem gerit alterius, statim ejusdem conceptus sit dicendum.

40. (3) *Adequatio* † *quoad sola accidentia rei externa*; non verò *aequalitas* vel *identitas Essentia*, cum non sit ejusdem naturæ Species interior & exterior. Si namque essent, tum, cum conciperes & intelligeres utionem, ureris, ut acutè *Scalig. Exer. 307. sect. 21*. Interior † enim species in mente intentionalis est & spiritalis: Exterior, quæ foris manet, realis.

41. (4) *Speciei* † *seu certa rei signum*. Hoc requisitum est omnium primum, & ut conceptus certam aliquam rem perfectè signet, subinfert.

42. Satis de Causis, Esto ergo

Ar.

De

Conceptus mentis Divisione.

Contemplati † causas conceptus mentis, ad illius
 Divisionem accedimus, quâ in *primum & secundum*
 dispescitur. Ubi † non negatum imus, Conceptum
 posse pluribus dividi modis, ut in *adæquatum & inadæ-*
quatum, &c. quas tamen Divisiones hōc locō non fa-
 cimus nostras, sed tantum in prioris Divisionis expli-
 catione desudabimus. Est † autem hæc Conceptus
 mentis Divisio *αφ' εἰνός πρὸς δύο*. Primo namque con-
 ceptui, qui aliàs notio prima, vox primæ intentio-
 nis appellatur, primariò & per se conceptus nomen
 competit & primò rem significat: Secundo autem
 qui notio secunda, vox secundæ intentionis nomi-
 natur, secundariò & propter primum Conceptus no-
 men adscribitur, & secundò rem significat. Definiri †
 possunt hōc modò. Conceptus primus est, qui ab in-
 tellectu ex re ipsâ formatus, rem immediatè repræsen-
 tat, ejusq̄ve cognitionem immediatè producit. Se-
 cundus † verò est, qui ab intellectu ex modò intelligen-
 di rem formatus, mediante conceptu primò, rem re-
 præsentat, ejusq̄ve faciliiori cognitioni inservit. Dicen-
 dum † nunc esset, quomodo discriminentur inter se hi
 conceptus; verum cum in Logicis libellis imprimis de
 hisce agatur, supervacaneum hōc locò judicamus.

B 3

Su-

Superpondii locò

Q. 1. An DEUM sub imagine humanâ concipere liceat?

Affirmamus adducti autoritate Scripturae, quæ testatur, DEUM aliquoties sub certis imaginibus hominibus sese objecisse, ut Gen. 18. Jos. 5, 13. Dan. 7, 9. Esai. 6, 1.

Q. 2. An Judex bonâ cum conscientia honoraria accipere possit? Dist.

Q. 3. An quis propria autoritate insigni a sibi eligere possit? Dist.

Q. 4. Annobilitas Generis nobilitati virtute quæsita sit preferenda? Dist.

Q. 5. Utrum princeps sit solutus legibus? Dist.



Qvâ

QVAratione animi virtus foecunda tenellos
Parturiat rerum Conceptus, lemma si paucis
Descriptum, SCHERLI, sophericæ de ponte cathedræ
Acriter exponis. Mentis sic perge latentes
Excussisse sinus: pariet labor hic tibi quondam
Latitiam & nomen nullis delebile seclis.

*Gratulab. fac. Dn. Respondenti
Cognato suo amanti.*

*M. Hieronymus Reccleben,
Organi Aristot. Prof. publ.*

Fama sudorem, decus & laborem
Subleuat, cunctosq; manent honores,
Qui sacris Musis sitiente mente
Laudis adherent.
Te, Respondentis jam officium tenentem,
Huc voco testem, Tibi nunc laboris
Premium surgit citius decorum,
Fama decusq;
Anxiè multùm varios labores
Per vigil cultor Sophia tulisti,
Ut Tibi laudis celebris parares
Clara trophæa,
Pergito sic nil metuens laborum,
Nominis fax clara tui ut nitescat,
Et comas lauru meritas Sophorum
Cingat Apollo.

*M. Simon Wach/
Gracio-Var.*

Doctis-

48.
*Doctissimo Domino Respondenti, Amico
suo ἀδελφῷ*

Conceptus, animi foetus, queis pompa Sophorum,
Contra it, dum reddis docta responsa logis,
Sudore ex multo conceptos atque paratos
Foetus ingenii prodis & ipse tui.
Ut pergis pergas conceptos edere foetus;
Mox tibi Castalides ferta parata dabunt.

ἀντιγραφία


apposuit

*M. Daniel Müller,
Gracio-Variscus.*

F I N I S.

X2615937

V. 17





B.I.G.

Farbkarte #13

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

1637, 2 7/1

EO

FUVANTE,

e

tu mentis,

ti Collegii Phi-

lma Lipsiensi,

em publicam

licuet

IS Kennler/Zittanus,

ol. Stud.

psurò,

Scherll/Lipsiensi,

hil. Baccal.

riori Majoris Principum

uditoriò,

DC XXXVII.



SI Æ

RII RITZSCHIL,